

fidelium cum Christo, de mortificatione membrorum  
 peccati, de revelatione interna & externa, de auditu ver-  
 bi interno & externo, de cognitione DEI interna, de com-  
 prehensione omnium rerum in Christo, de oblatione  
 corporum suorum in sacrificium, de cognitione DEI ve-  
 ra & falsa, de gradibus perfectionis, per renovationem  
 adipiscendis, de dignitate Christianorum, qua servi DEI  
 efficiuntur, de alia dignitate, qua reges & sacerdotes red-  
 duntur, de vita fidelium in DEO, de crucifixione cum  
 Christo, de manifestatione regni DEI in anima fidei, de  
 discrimine tristitiæ, quæ est secundum DEUM, & quæ est  
 mundana, de eo, quod similes fieri debeamus arboribus  
 frugiferis, virginibus, avibus cura vacuis, DEO miseri-  
 cordi & perfecto, de eleemosyna & infinitis talibus. Ut  
 enim harum rerum cognitio non est minoris, ac supra  
 memoratæ, necessitatis: aut peculiarem pariter posthac  
 cum illis in Systemate locum caputque occupabunt, aut  
 si in locis quibuslibet aliis, qui vel definitione cum iisdem  
 idem sonant, vel ad eosdem, quocumque respectu referri  
 possunt, perinde ut illæ, antiquioribus objectæ, tractari pos-  
 sunt, quid opus est, hunc defectum in vulgaribus Systema-  
 tibus accusare, eaque & eorundem auctores juventutis  
 contemptui exponere? Id certe intempestivis ejusmodi  
 censuris effectum est, ut jam plurimi nec nomen eorum  
 sustineant audire, & pietatis esse existiment, innocuis lib-  
 ris irreconciliabile bellum indicere, ut soli scil. Scripturæ  
 vacare possint. Hæc est naturæ nostræ indoles, ut dum  
 vitare nititur vitia, in contraria currat.

§ XV. Ut in summam contrahamus, quæ à nobis  
 dicta sunt, docuimus (1) Quanquam præter Scripturam  
 S. plurimi sint libri sacri ex ipsa Scriptura summo studio  
 E deducti,